



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Loci à Comparatione. Cap. XXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Loci à Comparatione. Cap. XXXI.

COMPARATIONIS locus vocatur, cum argumentum aut à maiori ad minus, aut à minori ad maius, aut à pari ducitur. Libētius sepè afferimus, nè res obscurior fiat, exempla patrum, quàm sacrarum literarum. Huius generis argumento vsus est B. Hieronymus, scribens ad Heliodorum de laude vitæ solitariae, his verbis: Filius hominis nō habet, vbi caput reclinet; & tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia metiris. Sic ex hoc loco argumentari poterit Ecclesiasticus orator: D. N. Iesus Christus nobis maxima & grauiſſima peccata, quæ quotidie committimus, dimittit; & nos leuiſſimas fratrum noſtrorum iniurias ferre non possumus?

A minori ad maius.

A minori ad maius sic argumentari poterit orator: Diebus Dominicis laici sumunt sacramentū Eucharistia; cur non presbyteri, diaconi, & subdiaconi; aut etiam scipiūs? Hoc argumēto sic vsus est B. Basilius in oratione ad diuites: Mare nouit terminos suos, nox non transgreditur antiquam termini descriptionem; at verò auarus non veretur tempus, non statuit terminum, non concedit consequentias successionis; sed ignis violentiam imitatur, omnia corripit, omnia depascitur.

A Pari.

Parium comparatio est aequalis; vt, pastores consulunt saluti sui gregis, reges suorum populorum, medici morbo affectis corporibus; ita etiā pastores animarum prodesse debent ijs, quibus praesunt. Elegantiſſimè vsus est hoc loco sanctus Augustinus in quodam sermone illis verbis:

Et nos,

Et nos, & omnis populus, vnius Domini serui sumus: & si benè agimus, ad vnã beatitudinem pariter perueniemus: & quare pauper tecum nõ capiet cibum, qui tecum accepturus est regnum? quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum ad conuiuium inuitatus est angelorum?

De ijs probationibus, quæ extrinsecùs assumuntur, ac primùm de probatione ab auctoritate sacrarum literarum.

Cap. XXXII.

CV M de argumentis à re ipsa sumptis, quantum res ipsa postulare videbatur, egerimus; ea, quæ extrinseca appellantur, aggrediamur: quæ maiorem sæpè vim habent ad confirmandum. Hæc ad octo capita redigi possunt, ad sacras literas, ad traditiones Apostolorum, & apostolicorum hominum, ad Ecclesiam, ad sanctæ sedis Apostolicæ auctoritatem, & ad conciliorum, ad sanctorum patrum auctoritates, ad sententias philosophorum, atque etiam ad historias, quos locos multi egregij Theologi pluribus verbis explicauerunt, elegantissimè (meo quidem iudicio) Melchior Canus Episcopus Canariæ; nos, quantum subiectæ materiæ satis esse videbitur, de illis agemus. Orator igitur Ecclesiasticus, vbi aliquid demonstrare voluerit, hoc in primis ante oculos ponat, magnam esse sacrarum literarum auctoritatem: quandoquidem quidquid in sacris scripturis continetur, id verissimum sit, & veluti ex ore Dei prolatum: quidquid autem absurdum
 cuiuspiam